DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

HÆMORRHOIDIBUS NIMIUM CONNIVENTIBUS ET COECIS,

QUAM,

ADSPIRANTE DIVINA GRATIA

JUSSU ET AUTHORITATE

GRATIOSISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ

IN

ALMA ASCLEPIADEÆ FAMILIÆ NUTRICE

ALTDORFFINA

PRO LICENTIA

Summos Honores, Privilegia & Insignia

DOCTORALIA legitimè & solenniter

impetrandi,

Publicæ placidæq; Eruditorum Disquisitioni

submittit

CAROLUS LUDOVICUS

FUNCCIUS, ULMENS.

Ad D. XXX. *April.* A. C. M. DC. LXXVII.

ALTDORFFI,


Typis HEINRICI MEIERI, Univers. Typographi.

VIRIS
GENEROSIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, MAXIME STRENUIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,

DOMINIS
DUUMVIRIS,
CONSULIBUS,
CÆTERISQ; INCLYTÆ ET LIBERÆ S. R. I. REIPUBLICÆ
ULMENSIS
SENATORIBUS
GRAVISSIMIS,
PATRIÆ PATRIBUS
VIGILANTISSIMIS,
DOMINIS SUIS GRATIOSIS, ET PROMOTORIBUS MAXIMIS,

Disputationem hanc Inauguralem ea, qua par est, animi submissione in devotæ mentis indicium, ulterioremque sui commendationem,

offert atque consecrat,
AUCTOR



A & Ω!

Non minus verè, quàm sapienter & piè dictum est, DEUM, supremum illud Majestatis Numen, ac maximum omnium rerum Authorem atq; Dominum; & Naturam, utpotè ordinariam, ordinatamq; à DEO, in cunctis rebus frustraneo nil machinari consilio, nec uspiam supervacuos impendere labores; sed omnia propter certum finem. Singulari namq; & ferè admirabili Naturæ solertia atq; sagacitate factum itentidem esse constat, ut ea toti corpori, loca ad superfluorum humorum, vel etiam vitiosorum & heterogeneorum excretionem, concesserit convenientia; præsertim cùm certum per seculorum omnium experientiam habeatur, Hominem, admirandum illud animal, sexcentis diris ac difficillimis subindè affligi ærumnis. Dedit itaq; Cerebro palatum, nares, oculos, aures, & parotides; &c. Cordi & pectori asperam arteriam, glandulas sub axillis; Renibus ureteres cum vesicâ &c; per quæ & alia loca Natura bene valens mediante flamma vitali plurimos, materiam scil. morbificam expellendo, expugnando, solvit morbos. Dedit insuper & visceribus vasa, ad extremum intestini Recti circuitum desinentia, Hæmorrhoidalia dicta; è quibus superflui sæpius, haud

rarò etiam prodigiosi emanant humores, sanguineus guttatim vel etiam copiosius decurrit imber: quæ certè expurgatio, rectè si procedat, & à naturæ tramite longè non recedat, maximam in omnes humanæ vitæ partes latissimè sparsam habet utilitatem, cùm assueti infinitas ferè effugiant ægritudines, præclarumq; ad Sanitatis tutelam consequantur commodum, contestante ac proclamante Experientia, quam magistram rerum omnium Sapientes profitentur. Quoties a. evacuatio ista justo immoderatior & nimis larga fit, aut præter naturam ita supprimitur, ut exindè venæ hæmorrhoidales tumeant, doleant aut inflammentur, innumeræ in corpore procreantur molestiæ, acceditq; malorum fœtura, & morborum Ilias. Cui immoderationi hæmorrhoidali cùm non tantum viri, sed etiam quandoq; fœminæ obnoxiæ sint, (utrisq; quamvis plurimæ si scil. s. n. fiat fluxus, exindè resultent utilitates,) placuit impræsentiarum hanc utriq; sexui communis affectus naturam cum therapeia, loco Inauguralis Dissertationis, Decreto Amplissimi Ordinis Asclepiadæi, brevissimis, quantum quidem temporis ratio, & ingenium & judicium permiserint, Eruditorum oculis præprimis, qui Sacræ Hygiæ studio litant, exponere. Huic ergo nostro conatui ut faveat ter S. Numen supplex veneror, & felices subindè successus gratiosè concedat, quò in sui nominis gloriam, proximi salutem & nostrũ commodum omnia vergant.



I. N. S. S. T.

Thes. I.

ATq; ut ab ipsius vocis origine, receptæ methodo morem gerentes, Hæmorrhoidum auspicemur tractationem, Ἀρχὴ γὰρ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις; Nos, relictis tamen omnibus aliis Etymologiis, quibus interdum Criticarum speculationum cupidi delectari solent, sequentes dabimus: αἱμοῤῥοῒς origine græca est vox composita, & deducitur παρὰ τὸ αἷμα, quod sanguinem notat, & ῥέω, quod fluo significat, & ita sanguinis fluxum sivè effluvium designat; hinc αἱμοῤῥοέω, sanguinis fluxum patior, sive sanguinis profluvio laboro. Et muliercula αἱμοῤῥοοῦσα cap. 9. Matth. dicitur.

II. Licet autem αἱμοῤῥοϊδος vox in communi significationis æstimatione *generaliter* ad omnes sanguinis fluxus, vel è naribus, vel ore, vel ex aliâ quâcunq; corporis parte referatur, quo modo sumitur etiam *Philosopho*, dum *3. de part. Animal. 5. p. 617.* sequentia profert: Ῥεῖ δὲ μάλιστα τὸ αἷμα κατὰ τοὺς εὐρυχωροτάτους τόπους. διόπερ καὶ ἐκ τῶν μυκτήρων, καὶ τῶν οὔλων, καὶ τῆς ἕδρας ἐνίοτε δὲ ἐκ τοῦ στόματος αἱμοῤῥοΐδες γίνονται. *Strictiori* tamen *usu* Medicis venit, id quod diversè in eorum libris videre licet, ut denotet vel venas ipsas in ano dilatatas aut eô deductas, quæ à symptomate nomen habent; vel tumores, circa extrema istarum venarum p. n. obortos; vel sanguinis ex oris illarum apertis profluvium; hæcce ultima significatio est usitatissima, Hippocratiq; in Aphorism. unicè intentata. Solet itaq; quandoq; Natura, servandæ humanæ vitæ nunquam tædiosa aut desidiosa, sed subindè laboriosa & studiosa, beneficio fl. vital. sanguinem heterogeneum, vitiosum secernere, & deponere in vasa ad podicem desinentia, ex quibus, sive

 hinc

hinc reseratis osculis erumpat sanguis, sive clausis subsistat, hæmorrhoidalia, i. e. sanguiflua, fortean per excellentiam nominantur, quod scilicet hæc vasa ani præ cæteris, exceptis uteri, freqventer fundere sanguinem soleant. Undè *Celsus lib. 6. c. 18.* idem affirmans, de venis sedis dixit: *Ora venarum, tanquam ex capitibus quibusdam surgentia, quæ sæpè sanguinem fundunt αἱμοῤῥοΐδας Græci vocant.* Obiter autem *cum Hieron. Fabric. ab Aquapendente lib. de operat. Chirurg. c. de Hæmorrhoid.* hîc monendum: *Celsum, ut & Galenum, libr. de theriac. ad Pison.* ora venarum potius, quàm venas ipsas hæmorrhoides appellare, cùm ex oris sanguis potissimùm fluat, & quod ejusmodi ora sanguinem sæpè fundentia potissimum in ano & utero existant, in his itaque partibus hæmorrhoides esse censuerunt. *Proprissime* verò αἱμοῤῥοΐς est sanguinis per arterias hæmorrhoidales ad podicem, in recti intestini extremum desinentes, effusio. Quatenus autem sanguis clausis manentibus osculis subsistit, venarumque extrema in tumorem attollit, id quod *in cæcis*, quæ sic appellantur (*potius clausis, vel dolentibus, ut vult Platerus*) accidit hæmorrhoidibus, *impropriè* tunc sumitur, nam si nomen suum tueri debet ex vi significationis & originis suæ, propriè & nil aliud significare potest, quâm fluxum sanguinis. *Impropriè* prætereà eadem vox αἱμοῤῥοΐς serpentis quoddam denotat genus, inde appellatum, uti habet *Aristoteles* theatrum illud Naturæ admirabile, *& Galenus* sacræ nostræ Medicinæ Antistes. *ad Glaucon.* quod morsu sanguinem, & quasi profluvium sanguinis excitet, ac dissolutis venarum commerciis, quicquid animæ est evocet per cruorem, teste *Solino in polyhistor. c. 40.* videatur etiam *Senn. lib. III. Med. Pract.* Demum *Varescus de Taranta in Philon. Pharmaceutico & Chirurg. lib. II. cap. 56. Excrescentias intra nares p. n.* hæmorrhoides appellat, propterea, quod ortum habeant ab humorum à capite destillationibus, duplicesque constituens & albas molles, tractabiles, & duras rubras, dicit illas non multum differre à cancro vel polypo. Sed diversis istis significationibus relictis, nobis hoc loco de *hæmorrhoi-*

rhoi-

rhoidibus apertis five fanguinis ex apertione venarum, arteriarumve libero effluxu; *& cæcis*, five ejusdem in modò dictis vafis fubfiftentiâ, illaq; in tumorem attollente, fermonem effe, ex ipfa jam patet infcriptione.

III. *Synonymorum* non adeò frequens datur numerus. *Græcis* ut jam dictum αἱμοῤῥοῒς dicitur. *Latini* hujus affectus appellationem à Græcis mutuantur Vocatur etiam aliàs *hæmorrhoidalis fluxus*, *tumor*, *aut dolor*. Multi autem Doctorum hæmorrhoides *cæcas* cum *ficubus & mariſcis* confundunt, quod tamen minimè faciendum. *Mariſcæ* enim longè alius funt affectus nempè tubercula carnofa, oblonga, quafi verrucæ ad cutem tenuia, fuprà lata, fubrubra, afpera, florem thymi referentia, undè & thymi appellantur, & fi magni funt, ficus. Sed plura de his infrà. *APERTÆ* five *apparentes* nominantur, quæ certis quibusdam temporibus aperiuntur & fanguinem liberè & inoffenfo curfu dimittunt, vel quibusdam etiam, quod in confpectum veniant. *COECÆ verò five occæcatæ*, & Græc. τυφλαὶ, quæ tument cum dolore, nec fanguinem reddunt; non tamen ignorandum cæcas etiam dici interiores hæmorrhoides, quia non confpiciuntur. Superbo nomine nuncupantur *Germanis*, **die güldene Adern / der guldne Aderfluß /** forfitan ab aureo & infigni commodo, cùm fine impedimento fluentes à magnis & multis morbis vendicent. *Sanitatem enim totius corporis inde refultare neceſſum putant nonnulli in aſſuetis*; uti verba Senis noftri venerandi habent. Nonnulli verò fœditatem, moleftiam, incommodorum proventum confiderantes potius exiftimant, dicendas **die bleierne Adern**; nam fi intempeftivè funditur fanguis, aut fupprimitur & repentè fiftitur, quam plurima inde proveniunt mala. Quod itaque aureas venas nominaverint, κατ' ἀντίφρασιν factum effe puta, quafi minimè aureas voluerint. Dicitur multis quoque **die Ruck-Ader /** à bifurcatione fortean illâ infigni, in ultimis lumborum vertebris factâ, ex Venæ C. & Arteriæ M. inde ad anum productione. De his vid. Aquapend. cit. loc. Denique

Hæ-

Hæmorrhoides apertas, ſive nimium ſanguinis profluvium Germani nominant **den Blutfluß unter ſich/ der guldnen Ader Blutfluß.** Cæcas verò **Verſtopffung oder Anlauffen der Gold-Ader. Ein heimliches Leiden.** Aſt plura, ad nominis notitiam facientia non addimus, ſiquidem hæc non tàm curationis, (ſcimus enim nomenclaturâ neminem ſervari) quàm felicioris diagnoſeos gratiâ, cùm ſcilicet maximam legentibus afferat utilitatem vocum enucleatio, præmittenda erant.

IV. Satis in nominali definitione enodandâ occupati fuimus, neceſſarium nunc eſt, ut realem tandem pro re natâ in medium producamus; quare recto ſine verborum paraſangis procedimus tramite, atque rem ipſam penitius paulò luſtramus, generali autem hæmorrhoidum definitione neglectâ, cùm nobis de earum ſymptomatibus tantùm ſermo ſit, ſequentes Apertarum & cœcarum damus deſcriptiones: HÆMORRHOIDES p. n. APERTÆ *ſunt ſanguinis ex vaſis ani nimis larga & p. n. evacuatio, cum virium periculo conjuncta, oborta ab ejuſdem ad anum collectione, turgeſcentiâ, aut acrimoniâ continuitatem vaſorum diſſolvente.* COECÆ *verò deſcribuntur; quod ſint tumor vaſorum ani, ortum trahens ex ſubſiſtentiâ ſanguinis, liberè quidem affluentis, impeditè verò ob turbatum dictorum vaſor ordinem refluentis, eorundemq́. orificia in tumorem attollente, cum ingenti exquiſitoq́; dolore conjunctus.*

V. Genus formalem rationem exprimens, ſanguinis nimis larga copioſaque excretio in præter naturam Apertis conſtituit, manifeſtè declarans ad quam rerum Claſſem præter naturalium hæmorrhoides hoc loco pertineant, ſcilicet non ad morbos, neq; ad cauſas morbi; (quamvis in reſpectu ad alium morbum cauſæ procatarcticæ locum obtineant;) ſed meritò ad ſecundam ſymptomatum claſſem, ſcilicet *ad vitia retinendorum excretorum*, referendæ ſunt: Dumque excretio hujusmodi cruoris valdè moleſta ſit, & magis ſenſibus obvia, ac pleriſq; terrifica, ab ea tanquam à potiori facienda eſt denominatio, quamvis non negemus,

præ-

præſens noſtrum ſymptoma, (quemadmodum alia omnia,) morbum vel *intemperiei*, vel *organicum*, vel *ſolutæ unitatis* præſupponere: ex quibus eſſentialibus morbi differentiis ultima ceu magis ſenſibilis hîc venit accuſanda, licet & priores duæ concurrere poſſint. Hinc frequens naturæ limites excedit, adeoque præter naturam redditur, uti oſtendit *Galenus 3. de cauſis ſympt. c. 2.* dicens: *Omnes ſanguinis eruptiones præternaturales eſſe, & quidem toto genere, modo excretionis, loco & tempore, ſive ex vulnere externo, ſive ex ventriculo, vomitu; ſive ex faucibus, ſcreatu; ſive ex renibus mictione procedant, exceptâ ſolâ menſtruâ excretione, quæ tamen & ipſa præternaturalis fit ſolâ multitudine.* Quidam tamen effluvium hoc, quod ὅλῳ τῷ γένει toto genere præter naturam ſit, omittendum eſſe cenſent, cùm ſæpè ipſa Natura talem in ſui commodum inſtituat evacuationem. Non negligenda propterea quæſtio illa, quæ paſſim apud Authores agitatur: *Hæmorrhoides ſint ne excretio naturalis, an verò præternaturalis?* Plurimi Authorum ob ſequentes potiſſimum rationes, eas in numerum excretorum ſecundùm naturam locant. I. Quia id, quod finis boni & ſecundæ valetudinis tuendæ gratia fiat, ſecundum naturam fieri dicatur, ac propriè ſecundum naturam. Fieri autem fluxum hæmorrhoidum moderatum fine optimo, & magno cum uſu individui, tàm firmum eſſe & *Hippocrati* & *Galeno*, ut ferè numerari nequeant loca, in quibus utilitatem ejus ſummam deprædicant. II. Ingerunt ex *Solenandro*, qui aliquoties hunc fluxum naturæ operâ, item naturæ beneficio contingere ſcribit, & naturæ curſum vocat. Imò licet, quod excernitur toto genere præter naturam videatur, tamen elegans & abſolutum Naturæ benè valentis, muniaque ſua tunc rectè adminiſtrantis opus eſſe dicit. Ab horum tramite etiam non aberrare videtur *Ecc. Leichner. diſſert. de hæmorrh. Finis*, inquiens, *cujus gratiâ Natura nil unquam fruſtrà parans, opus hoc machinatur, eſt oneris depoſitio, & ſanguinis expurgatio, ſanitatis deniq; tutela, huicq; ſubnexa præſervatio, vel etiam liberatio à morbis. Hoc ſaccharo oblinitur remedium iſtud, alioquin nemini non amarum futurum. Satius equidem fo-*

B *ret,*

ret, si Natura principiis obstaret, omnemq; talis cacochymiæ proventum inhiberet; verùm cùm id sæpè in viribus non habeat, facit id quod potest, & malam radicem priùs extirpare nititur, quàm in florem & fructum abeat. Sed nihil horum animum veritatis avidum satiat. Quamvis autem & nos non negemus, certo scil. habito respectu ad hunc vel illum hominem, ejusmodi fluxum convenientem dici posse, quatenus scilicet causas morbificas, utpote gravium aliàs morborum authores avertit, & ita hominem præservat. At quis non videt, hoc ipsum ex accidenti tantùm secundum naturam esse, cùm nec perpetuum sit; accedit & hoc, quod à naturâ coactâ, àque præter naturali copiâ collectâ sanguinis superflui fiat, ex quo ipso constat, absolutè loquendo, quemvis etiam hæmorrhoidum fluxum esse præter naturalem, & quidem ratione excretionis, quia non fit naturaliter; ratione loci enim alvus & vasa hæmorrhoidalia non sunt destinata ad sanguinis evacuationem; demum ratione temporis, quia fit intempestivè contra consuetudinem. Sed non est in hoc circo pugnam omnem ut concludam.

VI. *Sanguinis* esse excretionem res ipsa loquitur. Sumitur autem hic sanguis non pro certâ ac determinatâ illâ temperatissimâ Massæ sanguineæ parte, prout tribus in Scholâ Medicâ vulgò receptis, bili scilicet, pituitæ, & melancholiæ contra distinguitur; sed pro totâ illâ masfâ, quæ tùm in vasis tùm extra eadem heterogeneus deprehenditur, inq; circulum perpetuò movetur. Non immeritò itaq; hîc quæritur, *an sanguis ille, qui hoc in affectu excernitur, vitiosâ,* (quod quidem omnes volunt) *subinde peccet qualitate?* Nos hoc nec simpliciter verum nec falsum esse existimamus; pro diversitate namq; subjectorum nunc bonus nunc pravus existit: quòd verò ex colore pravo nonnulli judicium sumant, dum plerumq; ater vel melancholicus excernitur, incertissimum vel certè nullum est. Quoties enim in κακοχύμοις sanguis ex venâ sectâ laudabilis apparet, quippe floridus, qui tamen reipsâ vitiosus? & contra specie abominabilis in corporibus maximè sanis. Id quod quàm plurimos longa & multiplex experientia docuit.

VII. In

VII. In definitione *Apertarum* denique additur, virium adesse periculum, h. e. defectionem temperamenti vitalis animati in toto corpore, dependentem ab immodicâ & nimis largâ sanguinis ex vasis ani excretione, quam necessariò subsequitur dissipatio subita, & absumtio portionum spirituosarum, sulphurearumque, uno verbo activarum sanguinis, ceu pabuli flammæ vitalis.

VIII. *Cæcarum* autem *genus* constituit tumor vasorum ani, sive intumescentia à sanguinis heterogenei subsistentiâ. Quid verò tumor sit, & ad quod morbi genus referri debeat, magnâ contentione hodièq; inter Chirurgiæ Præceptores disceptatur. Litem hanc disceptârunt discrepantes Authorum principum sententiæ. Nos tamen concisè multa ut pronunciemus, cum *Spectatissimo Gratiosissimæ Facult. Med. p. t.* DECANO, *Viro Excellentiss. atq; Experientiss.* DN. MAURITIO HOFFMANNO, *Sereniss. Elect. & Marchion. Brandenburg. ut & Reipublic. Norimbergens. Archiatro felicissimo, Dn. Præceptor. & studiorum meorum Promotore, debito cultu ac observantiâ ætatem colendo, in tract. generali de tumor.* dicimus, tumorem morbum utplurimum compositum esse, ab eo denominandum, à quo actionum læsio proficiscitur. Sic morbus dicitur, quia est cum actione læsâ; est morbus compositus, vel enim intemperiem ab humore præsente ortum, aut alium morbum in situ aut unitate solutâ habet conjunctum; additur intereà ut plurimum, cùm etiam simplices dentur tumores, quibus alius morbus nullus adhæret. Ast hæmorrhoides morbum constituunt compositum ex intemperie cum materiâ & auctâ magnitudine; denominatio propterea ab istis, à quibus actiones læduntur, desumi debet. Quotiescunque itaque sanguis heterogeneus per arterias ad ani extrema pergens, ob turbatum autem vasorum ordinem per venas non refluens, subsistit, novis subinde accedentibus ejusdem succi portionibus, dicta vasa in præter naturalem magnitudinem attollit, & sic tumor excitatur, cum exquisito sæpius dolore conjunctus, nam dum in exquisito sensu prædictarum ani partium & subjacentium nervosarum poros

 mate-

materia peccans ſeſe inſinuat, non poreſt non earum ſolvi continuitas, ut ita dolor excitetur vehemens. Sed tumoris & doloris generationis modum pluribus infrà oſtendemus.

IX. *Subjectum provehens ſive viæ*, per quas ſcilicet ſanguis ad partes ani fertur, ſecundùm veterum tenorem *venæ* conſtituendæ, has quippe ſanguinem ex corde ad partes nutriendas vehere credebant. Nos potius cum *Aquapendent.* ſubſtituimus vaſa. Cùm autem vaſa iſta ſanguinem fundentia non ſint unius generis, maximè neceſſarium propterea videtur hæmorrhoidum conſtitutionem naturalem; ante omnia tùm ex veterum, tùm ex recentiorum placitis breviſſimis proferre, ut exortus illarum atq; progreſſus, earundemq; tandem conſtitutio præter naturalis melius inclareſcat; ne cœco quodam impetu in ſpectatiſſimum curationis theatrum priùs irrumpamus, quàm hæmorrhoidum cognitionem medullitus fuerimus conſecuti.

X. Notum autem cuilibet etiam Artis tyroni, vaſorum genus ſanguinem vehentium duplex conſtitui. Natura namq; ſanguini ſucco illi vitalitatis charactere imprægnato, ejusq; gratia cuivis corporis parti diſtribuendo, ad illius evectionem & revectionem, duo vaſorum ordinavit genera, *arterias* nempe & *venas*, idq; hac æternâ lege, ut nullatenus unum alterius vendicare ſibi poſſit officium, quam diu anima, flammæ vitalis Præſidis regimen, ſartum tectumque habetur; Et ſic ſanguis nectar illud vitale ex oceano ad auriculas, ex auriculis ad ventriculos, ex ventriculis ad arteriarum canales, ex arteriarum canalibus ad reliquas diſtantes animæ provincias propellitur, tùm ut ita omnibus partibus ex æquo ſui præſentiâ prodeſſe valeat, tùm ut ſui ipſius conſumtionem & flammæ vitalis continuationem facilem habeat. *Venarum trunci* duo ſunt *Portæ* ſcil. & *Cavæ*. Illi originem ſuam debent hæmorrhoidales internæ dictæ; huic vero hæmorrhoidales externæ. Hæmorrhoidales internæ ſecundum coli finem ſub recto inteſtino deſcendunt ad ani extremum usq;, ubi etiam hæmorrhoidali externæ junguntur; quarum uſus ſecundum Vete-

res

res est, ora intestini recti extrema, crasso sibiq; conveniente sanguine nutrire; in statu verò præternaturali illis abuti Naturam ajunt, partim ad sanguinem expurgandum, ut si quid pravi aut immoderati sanguini insit, tàm in vena Portæ quàm Cava extrà corpus eliminetur, atq; ita oris venarum adapertis hæmorrhoides fiant. Et hanc excretionem addunt, non per aliam partem, quàm per anum naturam commodius efficere, utpote cùm illa ab ipsâ naturâ ceu sentina & cloaca excrementorum constituta sit, ut propterea non sit mirandum, si venarum extremis adapertis & modicè fluentibus nonnulli inculpatâ fruantur sanitate, nonnulli â gravissimis morbis tùm liberentur tùm præserventur, ut dicit *Galenus.* Econtrà suppressis, aut nimium fluentibus inducant ægritudines. Atq; *has* scilicet *internas* è V. Portæ exortas, antiquis notas; *istas* verò à Cavâ ortum trahentes incognitas fuisse tradit *Senn. cit. loc.* & cum eo alii plurimi.

XI Hinc recentiores Medici non contenti dictis à Portá prodeuntibus internis, per quas cacochymiam aliàs expurgari tradiderunt; cùm præsertim ab illis ex singulari Anatomiæ studio nonnulli etiam ramuli à V. C. descendentes, adq; podicem desinentes inventi fuerint, hosce itaq; tanquam pro externis addidere, per quas Plethoram evacuari dixêre. Eorum exortus videatur *apud Spigel. Tab. 58.* aliosq; in delineatione V. Cavæ. Oritur scilicet ab Iliacâ hypogastrica, quæ insignis est, nonnunquam gemina, pro plurimis hypogastrii partibus, ut vesicâ ejusq; collo, pene, & uteri inferiore sede ac collo; nec non intestini recti musculis, unde hæmorrhoides externæ. Sed omnia hæc ex antiquâ hypothesi.

XII. Ast si Circulationis opus intuemur, quo novo recentissimorum Anatomicorum decreto venæ sanguinem non amplius evehunt è corde, sed revehunt ad illud tanquam fontem suum, arteriæ eapropter atq; in hoc fluxu magis accusandæ erunt. Arteriarum autem exortus atq; progressus in *Tab. 60. ap. cit. Spigel.* aliosq; A. M. depingentes observari potest, ex quarum

 proin-

proinde cognitione veritas magis elucescet; Et quidem V. P. per ventrem comitatur arteria mesenterica; Venam Cavam verò per corpus comitatur Arteria Magna. Illa offert arterias hæmorrhoidales internas; hæc producit externas. Usum Arteriarum hæmorrhoidalium à mesentericâ exsurgentium, præter nutritionem partium, quibus feruntur, varium assignant Authores, ut scilicet iis vel arte vel à naturâ apertis humores melancholici ac serosi evacuentur; utq; sic lien, renes, totumq; mesenterium à cœnosis & vitiosis humoribus liberentur. Harum nempe exortum ab arteriis emulgentibus & ramo lieni oblato non multum distare perhibent, adeò ut ab utrisq; facilè ruentes derivent humores, si verò non deponant, per venam ejus sociam (quæ freqq. anastomosibus cum illâ unitur,) mesenterium perreptantem, in portam iterum exonerent, sicq; ad fontem remittant, Plura de his qui desiderat, adeat hodiernos Anatomic. *Cl. Th. Bartholin. Spigel. Vesling. H[illegible]mor. Rolfinck.* & alios.

XIII. His de hæmorrhoidum exortu atq; progressu secundùm naturam præmissis, reliquum est, ut & de earum statu præternaturali quid in medium proferamus. In dicto hæmorrhoidum præternaturali statu *subjectum specialius* constituunt vasa ani, & quidem Arteriæ potius quam venæ, per quas sanguis è corde ad partes, & ad anum quoq; ex necessitate scil. motus periodici diffundi solet; suntq; hîc quidem Arteriæ à mesentericâ inferiori & iliacâ hypogastricâ ad anum usq; protensæ; tùm in apertis nimisq; fluentibus, quàm in cœcis atq; tumentibus accusandæ. *Generalius subjectum* constituunt viri & fœminæ. Atq; hæc de hæmorrhoidum in statu secundum & præter naturam subjecto, sequuntur causæ.

XIV. Cùm autem omnium rerum Naturalium certa quædam & determinata præexistat causa, illeq; Medicus non solum prudens censendus sit, sed etiam felix, qui poterit rerum cognoscere causas. Et nos ipsarum causarum enodationem jam aggredimur, in expugnandis utpote morbis summè necessariam,

riam, quâ sine aliàs in caligine versamur, si scilicet iis neglectis, vel saltem postliminiò consideratis ultrò nos convertimus ad curationem. Illæ attamen cum persæpè profundis tenebrarum nebulis immersæ sint, ut ad eas eruendas non minori sed arduo certè labore opus esse videatur, nostrarum ita quoq; erit partium diligentiori ζητήσει modò in *Apertarum*, demum in *Cæcarum Hæmorrhoidum* inquirere *causas.*

XV. *Causæ* intereà *morborum* cùm variæ sint, quarum quædam externæ & remotæ, quædam internæ & propinquæ habentur, omnesq; necessariæ, ut rectè cognoscantur, cùm morbus nonnisi causis ablatis tollatur, primò itaq; *internæ sive propinquæ tùm antecedens, tùm proxima*, examinandæ erunt. Atq; Apertarum hæmorrhoidum *causa proxima immediata* nulla alia est, quàm *soluta unitas dictorum* modò *vasculorum.* Et quanquam à *Galeno*, aliisq; proxima statuatur *facultas expultrix ad expulsionem irritata*, verùm quia in corpore illa nil agit, nisi à sanguine & ejus flammâ in actum deducatur; meritò itaq; illi nos apertionem vasculorum ani tanquam proximam substituimus causam, quæ triplici fieri solet modo; sive per ἀναστόμωσιν, id est simplicem extremorum orificiorum quorumcunq; vasorum apertionem, & relaxationem, quæ fit ob copiam humiditatis, citrà respectum ad qualitatem hanc vel illam peccantem, contentæ, relaxantem & aperientem. 2. per διαίρεσιν, per vasorum divisionem, quæ fit ab erodentibus per ἀνάβρωσιν seu erosionem à materiâ quacunq; acri salsâ, humoribus & ichoribus acribus, vel distendentibus, quales sunt flatus; vel rumpentibus, verbi gratiâ clamores, motus vehementes, ponderum gravium gestationes, contusiones. 3. διαπήδησιν sive transudationem, quando sanguis è venis quasi transcolatus aut sudoris modo transmissus effluit. Fit id vasis rarefactis, sanguine ichoroso existente, vel ore gracilium vasorum aperto, ubi sanguis non cum vehementiâ & copiâ profluit; quod rarius aut nunquam uti refert *Solenand. in consil.* accidit.

XVI. Aper-

XVI. Apertionis autem hujus causa est *sanguis*, id quod ex datâ definitione liquere potest. Duplici verò modo peccante potissimum fit *causa sanguis nimii profluvii*, nimirum vel per *plethoram*, vel per *cacochymiam*; quas duas etiam causas apertionis vasorum agnovit *Galenus l. 4. meth. med. c. 2. Plethora* hîc intelligenda est peccans, & quidem præcipuè quoad *vasa*, quando sanguis in tantum augetur, ut in vasis amplius contineri non possit, sed turgescens eorum orificia vi quadam aperiat, & continuitatem rumpat, sive illa exquisita in sanguine puriore abundante consistens fuerit, sive spuria, massam sanguineam ad cacochymiam jam vergentem incluserit. *Cacochymiam* quod attinet, quamvis variæ dentur species, quemadmodum ex *Dogmatibus Medicis Viri Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi* DN. D. BRUNONIS, liquet, *Patroni ac Præceptoris mei ætatem colendi.* In hoc tamen affectu cacochymiam biliosam, serosam, & melancholicam, (cùm omninò ij magis sint hæmorrhoidibus obnoxii, qui sanguinem adustum habent, & qui in juventute fuêre sanguinei, quibusq; in adultâ ætate sanguis aduritur, quiq; demum affectioni hypochondriacæ sunt obnoxii;) accusandam esse, nemo erit, qui in dubium vocet, præsertim cùm tantus hâc in re Medicorum sit consensus, tantaq; concordia, ut cum Plauto dicere posses, omnes rem compacto egisse, velut in velabro olearii. Confirmat etiam hoc *Galenus*, quando *l. 3. de Caus. Symptomat. c. 2.* dicit: *Imprimis acrimonia sanguinis serosa & ichorosa potens est ad reseranda & erodenda vasculorum orificia.* Acrimonia autem illa originem trahit à particulis salinis adustis; sive ichorescit sanguis, dum calor ejus vitalis igneus redditur, inflammabiles pabuli sui, sive spirituosas portiones veluti per conflagrationis incendium celeriter absumit, unde factâ colliquatione portionibus ejus salinis in fluorem evectis, salsa & adusta in reliquâ humiditate, lixivio salino similis relinquitur constitutio.

XVII. Ad utrumq; autem concurrit sanguinis motus peccans, hoc est ebullitio, effervescentia ejus & fermentatio præter natu-

naturaliter aucta, dum ſcil. collectæ copioſiores inflammabiles & ſulphureæ portiones vehementiùs in paſſivas agunt, eas movendo, agitando, ſubigendo, hisque acrimoniam, ichoroſitatem, fuliginoſitatem per nimium illum motum & fervorem conciliant, vel dum impurior maſſa accedente per cauſas externas fermento quodam extraneo & vitioſo, aut alio impetu agitante, ad turgeſcentiam aut ebullitionem incitatur, ſicuti, partim ex antea laudat. *Spectatiſſ.* DECANI, DN. D. HOFFMANNI, *in Prud. Medic. Diſpp.* partim *ex Williſ.* conſtat. Imprimis verò ſudatio impedita, quâ fuliginibus igneis à Maſſæ ſanguineæ ſubinde exhalantibus per cutis ſpiracula, ob pororum ſcil. conſtipationem, excernendi occluditur via, hûc facit; ideò quod ſanguis earum mole adauctus protinus turgeſcat, fervoremque concipiat. Atque hæc de proximâ Apertarum causâ.

XVIII. Cùm autem unius rei plurimæ eſſe poſſint cauſæ, idque non ſecus in Medicinâ quàm Philoſophiâ verum ſit axioma, neceſſum quoque erit reliquas mediatasque rimari cauſas. Prodeant igitur in ſcenam naturales: Inter quas occurrit I. *Temperamentum*, quod quàm varium ſit vulgò notiſſimum; in nullum tamen magis cadere poteſt, quàm plerumque *bilioſum, ſeroſum, & melancholicum*, quod aliàs frigidum & ſiccum appellari ſolet. II. *Ætas*, proclivior adulta, virilis, conſiſtens, etenim hæmorrhogia narium familiaris juvenibus & adoleſcentibus, hæmorrhoides verò conſiſtentibus, & ſenibus. Unde *Hipp. ſect. III. aph. 30. Quæ juventutem excipit provectior ætas ab anno XXXV. ad LX. præter propter,* (nequit enim numerus annorum exactè definiri;) *ſanguinis melancholici copiâ tentari ſolet*, quà ratione huic decurrenti ætati familiarem hunc fluxum eſſe voluit. Idem: *Nulla ætas morbis vacat, & in ætate quæ παρήκμασαι, magis hæmorrhoides fluunt, quàm in quavis aliâ vitæ parte. Et libr. de Aëre, aq. & loc.* Τοῖσι δὲ ἀνδράσι, δυσεντερίας, καὶ διαῤῥοίας καὶ ἠπιάλους, καὶ πυρετοὺς πολυχρονίους χειμερινοὺς, καὶ ἐπινυκλίδας πολλὰς, καὶ αἱμοῤῥοΐδας ἐν τῇ ἕδρῃ. III. Ætati ſuccedit *ſexus*, Maribus itaque in vi-

rili ætate constitutis accedit hic fluxus plerumque ordinariò; Imò non desunt Viri, inquit *Marcus Donatus 4. histor. Medic. mir. 19. pag. 411. quibus instar menstruorum ab hæmorrhoidibus sanguis statis temporibus fluere consuevit, quo fluxu suppresso in varia mala delabi consuevêre.* Interdum tamen & fœminæ subjacent huic fluxui; curandamq; habuit anno 1662. *Spectatiss.* DN. DECANUS, nobilem matronam circa novilunium mensium, circa plenilunium hæmorrhoidum nimium fluxum sentientem. Quoties autem in fœminis, aliàs satis sanguifluis apparet, rarum id est, & contingere solet nonnunquam ob suppressa menstrua, quorum tum vicem subeunt hæmorrhoides, unde & mensibus conferuntur à *Galeno*, docente utilitates, quæ ex secretione menstruorum & hæmorrhoidum proveniant. *Venæ itaq; externæ magnam quia cognationem habent cum venis uteri & pudendi in mulieribus, hinc est quod hæmorrhoides interdum officium mensium sumunt;* Unde *Hollerius:* De exterioribus inquit, *non est dubium, quin sint soboles V. Cavæ ab explantatione post venas emulgentes, & distribuantur in renes, vesicam, sedem, pudendum, uterum, propter quem consensum suppressis mensibus, ut in mulieribus viduis videmus, sæpè mensium loco fluere hæmorrhoides.* Idem *L. de morb. 55. schol. p. 462.* in gravidis quoque observavit hæmorrhoides utiliter fluxisse, dans historiam duarum mulierum nobilissimarum, in quibus nihilominus partus tempestivus sequutus fuerat, & fœtus saluberrimè adoleverat. IV. *Regionibus Meridionalibus* magis feruntur frequentes, quàm Septentrionalibus, forsan quod illarum incolæ sanguinem calidiorem & magis adustum, harum frigidiorem habeant. Et alii frequentiores esse dicunt Hispanis & Italis, Venetiis maximè & Patavii degentibus, authore *Roderic. à Fonsec. Tom. I. cons. 27.* qui causam in frequentem nimis Aloës usum rejicit. In *Germaniâ nostrâ* hoc malum quoque non infrequens. *Hæreditarium* idem nonnunquam esse, sic ut totis familiis commune sit, Historiæ testantur. Judæi denique quidam censent hæmorrhoidibus cœcis iisque verrucalibus percussos fuisse Philistæos à

DEO,

DEO, cùm arcam fœderis abreptam ſecum retinerent. Sed dimittimus cœcos Judæos, cum cœcis hæmorrhoidibus.

XIX. Poſt Res Naturales, offerunt ſe res non naturales Medicis ita dictæ; Eas inter fax & tuba *Aër*, qui, quà ambiens, quà inſpiratus, quod ſi ſcil. jam fuerit magis vel minus intemperatus, vel alienis inquinamentis corruptus, vel inconvenienter inſufficienterque agitatus, ventilatusque noxam ſanguini & corpori communicat. Sic namque immoderatè *calidus* maſſam ſanguineam calefacere, liquare, diſſolvere, attenuare valet, teſte *Gualter. Charleton. Exerc. 5. Patholog. §. 4.* ſi autem juſtò humidior, ſeu etiam ſiccior fuerit, nullum eſt dubium, quin etiam hæmorrhoidum immoderatum promovere poſſit fluxum. Hinc *Hipp. 3. aph.20.* in genere ſanguinis fluxiones vernò tempore frequentiùs contingere docuit, haud dubiè ob aëris calidam & humidam diſpoſitionem; ita & *frigidiorem* per accidens conſtipando poros cutis, & fuliginum exhalationem, incendium poſtmodum ſanguinis excitantium, præpediendo, ſanguinis fuſionem conciliare poſſe, extra dubitationis aleam res poſita eſſe videtur, modò hoc obſervetur, præſupponere quoque alias cauſas concurrentes, & præcipuè intrinſecam ſanguinis & partium ad excretionem facilem diſpoſitionem.

XX. Non minori ſed pari evidentiâ præpoſterus *eſculentorum & poulentorum uſus* nimiam ſanguinis hæmorrhoidalis excretionem promovere poteſt; præſertim quotiescunq; cibus & potus ſimul excedant qualitate nimis calidâ, uno verbo medicamentosâ aromaticâ, quæque fermentationem ſanguinis præternaturalem inducere ſatagunt. Imprimis vero *vini ſpirituoſioris potus largior*, qui aliàs hæmorrhagias ſanguinis copiam miris modis augendo, eumq; vehementer commovendo, excitare potis eſt, teſte *Petro Foreſt. l. 13. obſ. 12.* ita & in ſpecie nimias hæmorrhoides ciere poſſe, indubitatæ veritatis eſt, quatenus ob multas ſpirituoſas, inflammabiles ac promtè efferveſcentes portiones, quibus aliàs vina generoſa abundant, ſanguini communicatas, ejus turgeſcentiam & ebullitionem p. n. excitant.

XXI. *De somno & vigiliis immoderatis*, quòd ad hujus affectus generationem conspirent, non indiget multà probatione, nam utraq; modum excedentia nocent, partim humores dissipandos detinendo, partim detinendos dissipando. *Hipp. 2. aph. 3. & 7. aph. 71.* Huc pertinet etiam *exercitium corporis immoderatum*, quod fundit humores, & per hanc διαίχυσιν seu diffusionem corporis vitiosis humoribus totum replet. Qui humores erant ἐν στάσει καὶ συμπήξει, quiete stabant, διαχέονται, funduntur, & raptu quodam huc illucve feruntur; rectissimè scripsit *D. Rolfinck. ord. ac meth. med. special. l. 2. s. 3. c. 53.*

XXII. *Excreta quoq; p. n. retenta* symbolam suam huc conferre posse nullum est dubium, cùm nulla non rejectaneorum redundantia naturæ molesta, atque gravis morborum fiat materia. Agmen tandem claudunt *Affectus animi vehementiores*, præsertim ira, amor nimius, sicut sanguinem fundendo, attenuando, agitando, atque ad nimiam ebullitionem & effervescentiam cogendo, aliarum hæmorrhagiarum causæ esse possunt, quod exemplis pluribus innotuit. Ita nihil obstat, quò minùs etiam in viris & fœminis naturà præsertim biliosioribus nimium hæmorrhoidum profluvium excitare valeant.

XXIII. Reliquas causas contingentes n. n. & p. n. seorsim exponere non concedit temporis angustia, neque etiam operæ pretium. Eas inter frequentiores possunt esse nimia sternutatio, equitatio, percussio, casus, vulnus, ulcus intestini recti; mensium suppressio vel imminutio tenesmus, suppositoria. Hæc autem omnia in eo ad institutum nostrum collimare videntur, quòd vel manifestam & violentam inferant continui solutionem in vasis hæmorrhoidalibus, vel sanguinem liquando, agitando, & commovendo, ad illam subeundam vasa disponant. Et hæc de Apertarum hæmorrhoidum causis sufficiant.

XXIV. Reliquum nunc est, ut & *cæcarum* adjungamus causas, quæ præter eas quas cum apertis communes habent, plerumque sunt contrariæ. Et quamvis à *Philosophis* quatuor causa-

rum

rum genera rectissimè constituantur, nos tamen hîc potissimam rationem habemus causæ efficientis ad quam tumor sequitur. *Proximam hîc* ita constituit sanguis & quidem crassioris viscidioris liberè affluentis, impeditè verò ob turbatum pororum vasculorum ani ordinē, refluentis subsistentia, dicta vasa in p.n. magnitudinem attollens, calorisque cum sanguine influxum partim excludens, partim transitum difficillimum reddens, non aliam ob causam quàm quod ductum sanguinis & caloris sequi nequeant, aut nolint. Impeditur verò refluxus varias ob causas, tàm internas quàm externas, calorem & dolorem excitantes: Et ut calor, quatenus rarefactis carnium poris, humoribus liquatis, motus eorum ex arteriis in venas turbat, ac transitum difficilem reddit: Ita etiam dolor, quà symptoma est, & solutam unitatem causam habet, humorum in exilibus partium vasis & meatibus, motus turbare & retardare valet. Quæ mala cùm manifesta sint, indesinenterq; affligant, nec ablatis causis externis unà removeantur sed perdurent, pro veris causis quadantenus admittuntur, quoniam, interdum urgent, proptereàq; causarum naturam inducunt aliàs symptomata sunt, impeditum refluxum sequentia. Remotæ esse possunt frigus ambiens, sessio super lapide gelido, ciborum vel medicamentorum refrigerantium incrassantium vel adstringentium usus, difficilis item partus. Obstructiones insuper viscerum, affectio hypochondriaca, nec non intempestiva excedentium hæmorrhoidum per adstringendo condensantia curatio.

XXV. Doloris (ceu eminentis symptomatis) causa est continui solutio. Unitatem solutam inferunt humores acres & adusti, ichorescentes, qui cùm exitum non inveniunt, subsistunt, subsistentes, magis magisq; ichorescunt, acriores subinde redditi, partes membranosas, circumjacentes atq; nervosas distendunt, vellicant & lancinant, idq; magis vel minus pro vellicationis vehementia aut remissione; dolor itaq; peracutus non tàm ob venam ipsam affectam, quæ sensu quadantenus obscuro prædita est, teste *Aristot. & Galen.* quàm ob partes membrano-

ſas & nervoſas exquiſito ſenſu præditas, quibus intexta eſt. Flatus quoque à ſanguine craſſo excitatos, diſtendendo ſcilicet dolorem interdum ciere aſſerit, *Joh. Crato conſil. 206. f. 599.*

XXVI. Porrò ex Cauſarum illarum varietate reſultant *differentiæ hæmorrhoidum* variæ, quas paucis tantùm attingam. Harum *prima* & *potiſſima* eſt à genere ſive à *formâ ſpecificâ*, dum peccant hæmorrhoides vel exceſſu vel defectu, illæ Apertæ, hæ verò cœcæ dicuntur. *Apertæ* iterum variant ratione magni vel parvi hiatus, & multi vel pauci ſanguinis. *Cœcæ*, quoad *magnitudinem* ſunt parvæ, magnæ vel mediæ; quoad *figuram* uvales, morales, verrucales, vel veſicales; quarum omnium proventus eſſe poteſt à portionibus lymphæ & ſanguinis aduſtis, ſeroſis, ichoreſcentibus, & interdum tartareis ſubſiſtentibus, fibroſarum & membranoſarum circa inteſtinum, Rectum, occurentium partium continuitatem vellicantibus, & variè diſſolventibus; ratione *loci* ſunt vel in ano vel ineſtino recto, vel muſculo ſphinctere; ratione *temporis*, eſt iſta per ani venas expurgatio communiter periodica, menſtrua, bimeſtris, trimeſtris, annua, pro diverſa ſubjectorum diſpoſitione, ita ut ſine lege periodus ſatis inordinate interdum redeat, modo citius modò tardius, pro ratione cauſarum internas variè afficientium; ſunt item recentes vel diurnæ, quò ſpectat *6. aphor. 12. Hipp.* II. à *ſujecto* ſeu loco cui inhærent, ſunt vel internæ, vel externæ. *Internæ* ab Aortæ magnæ trunci Venam portæ comitantis ramo meſenterico inferiori, ſæpè juxta lienem, ſæpè ante lienem: *Externæ* verò ab ejusdem Aortæ M. rami venam cavam comitantis Iliaco ramo, ejusdemq; propagine hypogaſtricâ naſcuntur; quæ cuncta juxta longitudinem coli deſcendunt ad inteſtinum rectum. III. à *cauſis* etiam proveniunt tàm *internis*, quàm *externis*, ſanguine peccante quantitate vel qualitate; ſunt hæreditariæ vel adſcititiæ; conſuetæ ac inconſuetæ. Ratione *effectus* ſunt ſalubres (criticæ) vel ſymptomaticæ: Illæ fiunt bonitate naturæ, mediante flammâ vitali expellentis ſibi noxia, ipſi propterea relinquendæ: Hæ autem non

tàm

tàm naturæ, quàm morbi, vel potius causæ morbificæ ratione, nobis utramq; paginam faciunt. Quoad tandem Symptomata, aliæ sunt cum inflammatione, exulceratione, febri, ani procidentiâ, fistulis, gangrænâ. &c. Harum & aliarum differentiarum cognitio, licet ad curationem quodammodo requiratur, nos tamen impræsentiarum omnibus aliis neglectis, ad primam potissimam respicientes intentionem, puâ in Apertas ac Cæcas usitatissimè distinguuntur, illarum dignotionem & Curationem in subseqq. Thes. proponemus.

XXVII. Quamvis autem affectus hicce *signis diagnosticis* non videatur indigere, cum in sensus incurrat, & ita per se facilè cognoscatur; nihilominus cùm non omnis statim hæmorrhoidum fluxus sit p. n. omninò itaq; signis quibusdam opus est, quibus dignoscatur fluxum istum verè esse p. n. Hoc ostendit virium prostratio, crurum languor, corporis calor cachecticus & ad pallidum & viriditatem inclinans, qui teste *Avicennâ* talibus ægris proprius est; adeò ut hoc fretus signo, plures ex hæmorrhoidibus laborare, cum magno artis honore, se pronunciasse glorietur *Forestus l. 23. obs. 4.* & alii affectus graviores, qui caloris nativi exolutionem sequuntur. Et licet sanguis ille, qui in vasis hæmorrhoidalibus est, in se quandoq; non sit vitiosus, sed idem cum reliquâ in toto corpore existente Massâ, solùm quantitate in vasis sæpius dictis adauctâ, exitum suum urgeat; facilè tamen patet, si ultra modum fiat excretio, quod necessariò lapsus virium subsequatur, detracto scil. vitali nectare, & flammæ vitalis sufficiente pabulo. Porrò licet tandem sanguis excretus etiam corruptus, heterogeneus fuerit, & ita desideret foràs excludi, nihilominus nimio ejus profluvio vires prosternuntur, & quidem usq; adeò sæpè ut simul anima deficiat, cùm etiam cum excrementitiis portionibus, multæ portiones spirituosæ, laudabiles, ac proinde fomes fl. vitalis unâ exhauriantur. Hinc eleganter ab *Hipp. 2. aph. 51.* dictum: *Plurimùm atq; repentè evacuare periculosum*; omne siquidem nimium Naturæ inimicum. Quænam verò sint signa

causa-

causarum peculiaria, v. g. *Anastomoseos* & rupturæ, sanguis veluti confertim affluens, & causarum externè contingentium vehementia; *Diapedeseos*, sanguis dilutus & serosus rarior corporis habitus, ac temperamentum biliosum melancholicum; *Diabroseos*, sanguis paulatim exstillans cum salsedine & acrimonia excedente &c. quoniam causarum illarum suprà jam aliquam distinctam considerationem dedimus, non est ut crambem hic repetamus. *Subjecti* ratione, ex internis an externis, venis an arteriis sanguis fluat, signa distinctiva dari negant illi, qui discrimen internarum & externarum; omnemq; ex arteriis sanguinem duci asserunt.

XXVIII. *Cæcarum* signa cum tumore & tuberculis in oris venarum sunt dolor vehementissimus, qui gravior redditur, quando feces excernuntur, quandoq; mitior pro ratione distensionis venarum, cujus vehementiæ ratio à partibus admodum sensibilibus circa anum, nervosasq; sphincteris substantias, nervisq; ab osse sacro diductis, petitur; & interdum simul adest ani inflammatio, urinæ sunt crassæ, turbidæ quandoq; cruentæ, vel stranguria accedit periculosa, ex *Avicennâ*.

XXIX. Non absre erit, si etiam signa distinctiva adjiciamus, ut quantum fluxus aut tumor hæmorrhoidum à similibus differat affectibus dignosci possit, quod quàm necessarium sit, docet *Alexand. Massarias lib. 3. pract. Med. c. 24.* Ne decipiamur inquit, cum vulgaribus qui apparente aliquo tumore vel fluxu aliquo sanguinis circa sedem statim sine morâ hæmorrhoides esse ajunt. Dum tales affectus inter se & naturâ & curatione differant. Fluxus itaq; Hæmorrhoidum 1. ab *hepatico* differt, quod in hoc liquor carnium loturæ similis excernatur; quod uno vel altero die reprimatur & post iterum redeat; ille vero minimè ut volunt aliqui. 2. à *dysenterico*, quia nec mixtus est cum fecibus, neq; cum dolore ac torminibus ejicitur. 3. à *menstruo fluxu* in fœminis, uti tempore ita plerumq; loco. 4. Ab *uteri hæmorrhoidibus* loco saltem differunt, cùm aliàs hi duo affectus maximè inter se conveniant.

XXX. *Tu-*

XXX. *Tumor* itentidem *Cæcarum* à similibus distinguendus. Distinguendæ autem 1. sunt à *mariscis*. 2. à *thymis*. 3. à *ficubus*. Harum omnium distinctio ex suprà allatis desumi debet. 4. à *condylomatibus*, quia hæc sunt oblonga tubercula, & venas non attingunt: *hæmorrhois* verò major est, nigra & rotunda, venam aliquam occupans: nihilominus cœcæ hæmorrhoides aliquando ad condylomata accedunt, exemplum habet *Forestus c. l. obs. 7.* 5. à *Rhagadibus*, quòd hæ sunt ulcera quædam in fissuras diducta, iis persimilia, quæ in manibus aut labiis à vehementi frigore excitantur. *Massar. l. c. f. 229.* 6. à *cristis* seu excrescentiis ani, quæ ex nefandâ venere oriuntur, & pullulor. gallinaceor. cristas referunt. 7. deniq; *dolor hæmorrhoidum* à *tenesmo* distingui meretur, quia in iis exitus fecum non fieri traditur cum expressione adeò vehementi, tantoq; conatu, sicuti in tenesmo fieri assolet. *Gangrænosas* aspectu partium quamvis fœdarum dignoscere jubet *Aquapend.* sæpius laud. *cit. loc.* sequuntur jam Prognostica.

XXXI. *Galen. lib. de constit, Artis, c. 12.* dicit. 1. *Curatrici arti Medicinæ nulla magis est propinqua; quàm prognosis*; hâc namq; irradiatus luce Apollineus mysta certior fieri potest, an remedia applicare operæ prætium, an incurabilis æger prognosi relinquendus, ne præsidia infamentur, & Medicus ægrum occidisse videatur. Quod itaq; ad prognostica spectat, in genere certum est, omnem hæmorrhagiam aut diuturniorem aut profusiorem esse periculosam, & aliquando lethalem, quia Naturæ thesaurus & ille liquor nectareus, quo hominis vita sustentatur, dissipatur, & disperditur. Hinc & nimis largus & immodicus hæmorrhoidum fluxus periculo mortis minimè caret. Aliam tamen aliâ esse periculosiorem nullum est dubium; augetur enim aut minuitur difficultas & periculum pro magnitudine ac diuturnitate symptomatum, pro habitu corporis, temperamento, ætate, & similibus *Alex. Massar. cit. loc.* Hæmorrhoides propterea sunt quandoque salutares, si scilicet moderatè & convenienti tempore fluant, dum scilicet hominem à multis morbis præservant, & à præsen-

D tibus

tibus liberant, ut docet *Hipp. 6. aph. 11. Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides supervenientes bonæ sunt.* Non aliam ob causam ex veterum opinione, quàm quia à ramo V. P. splenico haud rarò propago deorsum usq; ad intestinum rectum pergit, hinc dum scaturiginem in liene statuerunt, per evacuationem istam lienem sanatum fuisse, crediderunt. Et adhuc hodiè communis plerorumq; Medicorum est sententia, melancholiam quandoq; à liene malè affecto aut primariò excitari, aut plurimùm foveri, proindeq; peculiari vocabulo melancholiam hypochondriacam appellarunt. Recentioribus tamen videtur, quòd culpa non tàm in lienem, quàm potius in sanguinem ipsum reijcienda sit, quippe sanguis prior in culpâ, fœculentias atrabiliarias ab initio in se gignens, demum in liene deponit, quas postmodum in mali fermenti naturam exaltatas iterum excipiens, ab earum inquinamento in crasi suâ magis vitiatur. Quotiescunq; autem his evacuationibus tempestivè factis, portiones sanguinis adustæ, acres, lixiviosæ eliminantur, & in illarum detractarum locum novæ spirituosiores, laudabiles & mitiores repullulant, dyscrasia sanguinis emendatur, hinc fit morbi solutio. In nephriticis autem scil. obstructis renibus propterea salutares censendæ quia hæmorrhoides externæ cum truncis V. C. & Arteriæ M. ad dorsum descendentibus conjunguntur, unde nephriticus evacuato imminutoq; sanguine in utroq; trunco & Venâ C. & Arteriâ M. obvio liberatus â laboribus istis, tùm etiam renes ab obstructione vendicantur. Porrò id. in eâdem *sect. aph. 21. Insanis si varices & hæmorrhoides supervenerint, morbi fit solutio.* Delirium ex crasso & adusto sanguine oriri posse, non ignotum, & sic delirantibus hæmorrhoides & varices bonæ sunt, si supervenerint, per has enim totum corpus à sanguinis feculenti malitiâ purgatur, & materia maligna abducitur à partibus principibus, & sic spirituum efferationes animæque elatio optimè supprimuntur. Si verò eadem materia exitu occluso retrò petat Cerebrum, ex palindromiâ fieri itidem maniæ possunt. Et *6. Epidem. comm. 3. l. 37. Sanguifluis venis*

labo-

laborantes neq; morbo laterali, neq; pulmonario, neq; phagadænâ, neq; inflammatiunculis, quæ dothienes vocantur, neq; iis, quæ termenthi, neq; fortaſſe etiam leprâ, neq; aliis morbis corripiuntur. Quoties ſcil. cunque portiones ſanguinis heterogeneæ, ſeroſæ, acres, ſalſæ quaſi aduſtæ, malignæ, putridæ, aliàs in variis locis, ob vaſorum & partium turbatum ordinem impeditum refluxum ſtagnantes partiumque inflammationes, eroſiones, dolores inducentes per hæmorrhoidum fluxum evacuantur, & extra corpus eliminantur. Obſervatum quoque eſt gravidis quibusdam, 4. menſes in utero habentibus, hæmorrhoides utiliter fluxiſſe, iisque ſubſiſtentibus pejus habuiſſe. Imò *Aquapendens* abſolutè concludere haud dubitavit, *hæmorrhoides in omnibus ferè morbis*, tùm præcavendis, tùm curandis prærogativam obtinere, primumque habere locum: hancque inſuper evacuationem eſſe magis quàm per venam ſectam affectandam, auſpicandam. Dubium autem eſt *an in non asſuetis iſtiusmodi evacuatio tentanda?* Nos affirmativam defendere non dubitamus; præſertim cùm & in Italià in omnibus ferè hæmorrhoidum evacuatio tentetur; ratio autem eſſe poteſt, quia & ſanguis V. P. & V. C. evacuatur, hæmorrhoides propterea frequentes aperiendæ, tàm in morbis V. Portæ, & in morbis V. Cavæ, vendicant inſuper ægros ab obſtructione lienis.

XXXII. Habent econtra hoc in commodi hæmorrhoides, ſi ſupprimantur, vel immodicè fluant, quod ægrum in hydropem, phthiſin & alios morbos præcipitent; de quo *Galenus 3. de nat. facult. c. 8. Ex hæmorrhoidibus diuturnis ſuppreſſis, vel immodicè profluentibus ad extremam frigiditatem devenientes ægri ſæpè aquam intercutem incidunt.* Generatur autem hydrops ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus, vitioſo & feculento ſanguine hâc viâ interclusâ ad epar ruente, ejusq; calorem nativum ſuffocante; phthiſis verò humore aduſto ſalſo & acri ad pulmones converſo, ejusque vaſa erodente, undè ſputum ſanguinis, & tandem phthiſis; poſtquam enim ſanguis plurimum depravatus, recrementa ſua copioſius demùm aggeſta aut pulmonibus aut in ventris viſceribus ſuffun-

dit, proindeq; hujus aut illius generis affectus sæpius exitiales accersit. Valde autem hic se torquent Authores, quæ nimirum subsit causa, quod *sive fluxerint*, sive non *fluxerint hæmorrhoides*, *eadem in utroq; casu oriantur symptomata?* v. g. tabes, epilepsia, (nam per acriorem chylum & sanguinem ad regium cerebri domicilium ex hypochondriis confluentem sæpius etiam Epilepsia inducitur;) & hydrops. *Causa* reijcienda hîc in paupertatem flammæ vitalis; multiplicatio namq; & multitudo aquæ & ichoris, si scil. non fluunt, obruunt fl. vitalem. Si nimium fluunt, fl. vitalis deficit, corrumpitur chylificatio & sanguificatio, nam cum sanguine heterogeneo multæ etiam abscedunt portiones laudabiles, hinc reliquæ sui juris liberæ factæ, scil. vitiosæ, ductum fl. vitalis sequi nolentes, vel ad caput redundant; vel ad pulmones unde tabes; vel ad glandulas mesentericas, unde hydrops. Hæc ita & alia hæmorrhoidum suppressionem subsequuntur symptomata. Undè *Galenus 4. aphorism. 25.* scribit: *Evacuationi per hæmorrhoides non esse naturam assuefaciendam, quoniam periculosus est excessus, si suprà modum sanguis excernatur, seu ex toto supprimatur.* Et *Aëtius* inquit: *Hæc affectio plurimorum malorum hominibus causa existit. Nam & deformitatem & miseram vitam hominibus inducunt; multos verò etiam vitâ privant. Et deformitatem quidem propter caloris totius vitiationem ex evacuatione succedentem; miseram verò vitam propter corporis debilitatem*, ex fl. vitalis defectu. *Quandoq; autem de vitâ periclitantur sic affecti, cum ob excedentem evacuationem perfrigeratum Hepar aquam intercutem operatur, vel phthisis subsequatur.* Quæ tamen omnia intelligenda sunt, si affluxus modum excedat. Et ut omnia paucis complectamur; si aperiantur hæmorrhoides, quando sanguis in corpore vitiosus, & forsitan etiam copiosus adest, utiles sunt, & corpus sanum conservant. Contrarium si fiat, contrarium etiam accidit; similiter si cum morbus adest vel imminet, aperiantur, sanitatem promittunt, si verò tum occludantur morbum certò ingruere, vel præsentem auctum iri, denunciant.

XXXIII. In

XXXIII. In genere autem omnes hæmorrhoides peccantes ſunt curatu difficiliores; tùm quia pars illa eſt via quâ corporis excrementa educuntur, tùm quia nervoſa eſt, & multi ſenſus particeps: tùm quia continua fecum dejectio medicamentorum vires impedit.

XXXIV. In hæmorrhoidibus valde dolentibus, niſi maturè ſuccuratur, metuendum eſt ne inflammatio & apoſtema, vel ulcus vel fiſtula, vel aliquod aliud grave malum excitetur. Cœcæ item hæmorrhoides internæ ſi verſus virgam tendunt, periculoſæ ſunt quia inflammatæ plerumq; urinæ viam conſtringunt & ſtranguriam excitant. Cœcas hæmorrhoides, niſi maximè tumeant & magnum dolorem inferant, potius naturæ committere quàm aperire præſtat. Inſignes & majores ſanguinis effuſiones fiunt ab hæmorrhoidibus à V.C. ortis, quia majores & plures ſunt, & propterea etiam majori cum periculo accidunt. Ad ſalutem terminantur apertæ, fluxum vel arte cohibente, vel naturâ ſanguinem per alias vias ejiciente, utpote per hæmorrhagiam narium, vomitum (*ut ex Amato Luſiano conſtat*) mictionem cruentam, quam aliquoties obſervavit Rolfinck. & nuper etiam magnæ authoritatis Vir, *Spectatiſſ.* DN. DECANUS, Patronus noſter nunquam ſine honoris encomio nominandus. Suppreſſæ autem ſeu cœcæ vel vaſorum apertione ſalutari modicoq; effluxu, aut etiam aliquando omnimodâ exſiccatione. Dolentes diutius interiores viſæ tandem ſunt ſalutariter terminari per purulentam ſponte excretam materiam, ulcereq; exſiccato, quæ obſervatio eſt Rolfinckii. In alios morbos deteriores quandòque, qui tandem ad ipſam quoque mortem deduxère, migrant hæmorrhoides. Hinc modò infimi ventris incolæ & accolæ, modò thoracis aborigines, modò arx humanæ rationis & caput variè peſſundantur, & complicatis afficiuntur affectibus, præcipuè verò ex humorum palindromiâ ſuppreſſis ſcilicet hæmorrhoidibus, ad varias partes redundantium. Ita ex hæmorrhoide ſuppuratâ fiſtulas fieri ſcribit, *Paræus.* Diutius ſuppreſſas & ab ægrotis negle-

ctas hæmorrhoides in abſceſſum ſcroti periculoſum, in aliis in abſceſſum partium vicinarum (quibus curatis fiſtulæ remanſerint) abeuntes vidit *Mœbius.*

XXXV. Adductis hactenus iis, quæ ad cognitionem affectus propoſita neceſſaria viſa fuêre, progredimur nunc ad Curationem. Symptoma autem ut ſymptoma non indicare curationem univerſus ferme Medicorum dictat Senatus, cùm ea ſponte ceſſent ſi morbus ritè fuerit curatus. Ex accidenti autem ſymptomata curationem ad ſe trahere concedit ipſemet *Galenus 12. Meth. med. 1.* quando ſcilicet cauſæ naturam habent & urgent. Dicuntur autem *ſymptomata urgentia, quæ flammæ vitali interitum minantur, adeòq; mitigationem, ſive præſens auxilium vel relevationem ægri ab acceſſione poſtulant, cujusmodi auctæ morborum magnitudini ſuccedere, & cauſarum vehementiam æmulari ſolent,* quemadmodum accuratè illa deſcripſit ſæpius laudatus & nunquam ſatis laudandus *Spectatisſimus* DN. DECANUS *in Meth. 3. Prud. Med.* annexâ. Ad hæc autem urgentia ſymptomata nimium quoq; hæmorrhoidum profluvium, earundemq; ſuppresſionem referendam eſſe, nullum planè eſt dubium, ut ita meritò de curatione proſpiciendum ſit, cùm occaſio præceps ſit. *1. aph. 1.* Accedit, quod hoc loco ſub nomine ſymptomatis ipſe quoque morbus, ſolutio continui vaſorum tacitè comprehendatur cujus curatio monſtranda omninò nobis nunc erit. Ad hanc ritè & dogmaticè inſtituendam proponendæ ſunt indicationes & remediorum materiæ. Nam indicationum inquit *Linden. exercit. IIX. §. 63. ſanè officium eſt monſtrare juvans. Juvans vero id dicitur de quo auxiliamur Naturæ, atq; complectitur non ſolùm materiam remedii, ſed & rectum uſum.* Indicationes autem in hoc noſtro affectu univerſaliores & principaliores ſunt, quæ à morbo & à cauſis morbificis deſumuntur, nimirum unitio ſolutæ vaſorum unitatis, & ſanguinis immodicè profluentis cohibitio, quò ſcilicet ſervetur illud quod retinendum eſt, & præter naturaliter evacuatur; ſuppreſſi verò provocatio, vel ad alium locum revulſio; tandem

dolo-

doloris mitigatio. Pro quarum feliciori assecutione subordinantur particulares aliæ, nimirum copiosioris sanguinis proventus impeditio, acrimoniæ sive ichorescentiæ correctio, ebullitionis nimiæ tranquillatio, caliditatis excedentis refrigeratio, frigiditatis sive defectus flammæ vitalis caloris inductio, & ejus restitutio, sanguinis viscidioris crudi attenuatio, maturatio, tandem fibrositatis restitutio. Quas si per dextrum remediorum usum Medicus obtinuerit, non habet quod dubitet, de virium vitalium restitutione, deq; curatione ritè peractâ.

XXXVI. Auxilia ad dictas indicationes obtinendas necessaria peti possunt ex tripartito rerum nonnaturalium penario vel fonte, *Chirurgico*, *Pharmaceutico* & *Diætetico*. *Chirurgia* offert Præsidium maximum; *Venæsectionem* scilicet revulsionis gratiâ in brachiis instituendam, nimirum si à plethorâ morbus fuerit obortus, & vires nondum penitus prostratæ. Hanc licet largam commendaverint nonnulli; suspecta tamen meritò habenda, cùm præsupponatur, jam ante factum fuisse profluvium non sine flammæ vitalis detrimento, & virium prostratione, præsertim cùm penu sanguinis confertim diminuto quatenus scilicet sanguificatio labascit, hydrops tandem aut cachexia sequatur; præstabit ita sanguinis missionem partiri, & eam aliquoties repetere; neque ad vires præsentes saltem, sed etiam futuras respiciendum est. *Cucurbitulæ* deficientibus viribus substitui queunt, affigendæ frequentius scapulis, lumbis, hypochondriis dextri vel sinistri lateris, ut & mammis, cum vel sine scarificatione, ut recursus fiat: his non sufficientibus ferrum candens adhibendum, ita ut nec tangat cutem, nec comburat, sed actuali tantùm virtute actuetur *Frictiones* item & *ligaturæ* pro revulsione quoque hûc faciunt, partium præcipuè superiorum. *Fontanellas* incoecis & apertis apprimè convenire pluribus demonstrat *Zacut. Lusitan.* Et non absq; ratione. Nam ubicunque pro materiâ peccante tùm è sanguine, tùm è succo nervoso emissarium aperitur, illuc plures particulæ heterogeneæ ac morbificæ unà effluunt, propterea ut visce-

viſcera ſalva perſtent; nam quæ ſanguinis vitioſi recrementa foràs continuò derivant & paulatim excernunt, ferè nulli non commodo eſſe ſolent.

XXXVII. *Pharmacia* varia quidem offert medicamenta ad curationem hujus affectus proficua, ſed delectu magno opus habent Commendat quidam practici *purgationem* & *vomitum*. Verùm utrumq; remedium præſente jam nimio fluxu nobis meritò habetur periculoſum & ſuſpectum ob vim purgantium & vomitoriorum humores & ſanguinem exagitantium, reſolventium, & magis fundentium, coctionem naturalem h. e. fermentationem, ſanguinis & ſpirituum elaborationem, activitatemq; infringentium. Præſervationis verò gratia tempeſtivè adhibita & cum moderatione, utilitate non carebunt, pro tollendâ ſcilicet ſanguinis bilioſitate & ſeroſitate ſuperfluâ. Hîc in uſum vocari poſſunt ſeqq. v. g. *ſyrup. roſar. ſolutiv. aut violar. manna, Rhabarbar. fol. Senæ, Syrup. de cichor. cum Rhabarbar. diaperſicor. &c.*

XXXVIII. Magis ad rem facient interna adſtringentia incraſſantia, præcipitantia, temperatè refrigerantia. Inter quæ præ cœteris excellunt, quæ cum adſtrictoriâ vi & præcipitante *diaphoreſin* juvant, *ut bolus armena oriental. præp. terr. Sigillat. & Lemnia, CC. uſtum. & Philoſophic. calcin. Corall. rubr.* cum vehiculis adſtringentibus oblata, *ocul. cancri ſuccin. alb. præpar. croc. mart. adſtring.* &c.

XXXIX. Specificorum & propriâ vi ſiſtentium ſanguinem tantus ubiq; numerus, ut numerare volentem numerus deficiat. Nos ſaltem potiora & uſitatiora adducemus, atq; in ſanguinis profluviis aliis utilia, quæ ſequentia eſſe poſſunt: *Alchimill. bellides, burſ. Paſtoris, equiſet. hypericon, millefolium, polygon. plantag. portulac. ſanicul. tormentill. biſtort. veronic. virg. aurea decoctum it. plantag. cichor. flor. hypericon. cum ſyrup. granat. cydonior. acetos.* Specificè verò commendantur ad hunc fluxum compeſcendum ex *vegetabilium* regno *verbaſcum*, quam plantam appropriatam huic fluxui eſſe dicunt *Platerus & Riverius; radix* item *chelidon. min. &*

ſcro-

scrophulariæ, fructus immatur. ligni guajac. experimento *Aquapend.* Ex *Animalium* numero laudantur *anguillæ pinguedo, sanguis humanus*, vel etiam aliorum animalium, *pulmo Arietis, pili leporini, tela aranearum, pulv. bufonis terrestr.* Ex *mineralium* gazophylacio, & *Chymicorum* penu prodit *Mars*, ejusq; *essentia*, & *Crocus, tinctura* item adstringens in minimâ dosi exhibita vires maximas exserens. &c.

XL. Urgente autem nimis fluxu cruento, exhibenda sunt illa, quæ sanguinem incrassant magis & quasi inspissant, qualia sunt *opiata narcotica, syrup. de papav. theriac. rec. laudan. opiatum, pilul. de cynogloss.* cum adstringentibus & sudoriferis. Ast quia hæmorrhoides non modò à futuris morbis tueri, sed & à præsentibus jamjam infestantibus liberare queant, diligenter propterea Medico cavendum erit, ne temerè eas supprimat. Quod si contra *aph. 12. sect. 6.* fecerit, multorum certè, & eorum sanè non levium morborum, quibus ille, cui intempestivè & nullâ urgente necessitate suppressit, corripietur, author erit.

XLI. *Topica* non minus utiliter hîc adhibentur, imò omne absolvunt punctum ex multorum sententiâ, dum plus hoc in casu præstare *dicuntur*, quàm adstringentia intus sumta: sic *fomentum ex decocto verbasc. in ▽ ferrar.* vel *vino adstringent.* paratum *Riverius* existimat fore utilissimum. *Unguentum Comitiss.* valdè etiam laudatur, si scil. illo dorsum & hæmorrhoides inungantur. Sic nonnulli etiam commendant *oleum myrtin. mastich. rosar.* Nobis tamen videntur suspecta linimenta ex oleis & unguentis parata, in quantum scilicet ea fibrarum tonos, si altiùs penetrarint, magis laxant, proindè ut materiæ morbificæ incursibus facilè pateat; cutis insuper poros inferciunt, quò minus effluvia evaporent. *Emplastr.* fiat stipticum ex *unguento Comitiss.* cum *cerâ bolo armen. aloë, thur. & malicor. Suppositoria* item in usum vocanda ex *bolo armenâ, sanguine Dracon. vitriol. cum syrup. de ros. sicc. Injectiones ex vino stiptico & aq. fabril. cum radic. bistort. tormentill. cortic. guajac. saccul. ex ros. rubr. & pulv. malicor. &c.* *Thermas* commendat *Aëtius* aluminosas

E nosas

nosas. *Viscerum* tandem *robori* prospiciendum: *hepatis* nempè & *lienis*, si calidiora fuerint, non solùm intemperies refrigerantibus corrigenda, sed & illis robur adflandum. *Cordi* præterea maximè in tanto ardore sanguinis succurrendum. Idcircò in hoc casu remedia Cardiaca frigida & attemperantia, quæ sanguinis fervorem restinguunt & sedant, simulq; spiritus animales, quò magis ardua tunc vitæ pensa præstare possint, blandè refocillant, adhibere oportet: in quorum fines adhibendæ *aq. borragin. meliss. flor. paralys. &c.* nec non *syrup.* & *conservæ.*

XLII. *Diætam* ad morborum è corpore humano ejectionem & propulsionem, sanitatisq; & vitæ conservationem & propagationem maximum esse fundamentum, ipse *Galenus* Venerabilis Artis Medicæ arcanorum Mystagogus *lib. de tuend. Sanit.* confirmat. *Rarius*, inquiens, *ægrotabunt congruo utentes regimine, & quæ oportet, facientes.* Hoc sicuti verissimum, ita & in hoc nostro affectu maximum locum obtinet, utpote cui plerumq; sola sufficit exacta & exquisita Diætæ ratio & correctio. *Aër* itaq; sit paululum temperatior, ad frigiditatem & siccitatem vergens. *Alimenta* quantitate non excedant, ne flammam multam augeant, vim habeant incrassandi viscidam; ut *amylum*, *oryza*, *ptisana hordei*, *ova sorbilia*, *juscula consummata*, non tamen sint coctu difficilia. Pro *potu vinum rubrum* aliquando concedatur. *Quieti* indulgendum & *somno* paulò longiori. A *rebus Venereis* abstinendum. *Sudoris & fuliginum* exclusio promovenda. Omnes *affectus animi* vehementiores studiosè vitandi; ut & cætera supra inter causas procatarcticas recensita, cautè declinanda, ne porrò ansa detus concitatiori sanguinis ebullitioni. Et hæc de Apertarum curatione sufficiant.

XLIII. *Cæcarum tumentium atq; suppressarum hæmorrhoidum curatio* contrariam planè medendi rationem postulat, cùm indicationes hîc prioribus planè contrariæ sint, viæ namq; aperiendæ veniunt, sanguis crassior attemperandus, interdum aliò revellendus aut derivandus, nonnunquam hæmorrhoides prorsus exsiccan-

ſiccandæ. Remotio autem ut facilior & felicior ex toto & loco affecto habeatur, dum ſanguis ejusmodi inconveniens perpetuò affluit, & affluendo præſentiam auget humoris peccantis, cauſa proptereà ſive humoris peccantis portio non tàm præſens, ſed & ſecutura ſive futura reſpicienda eſt: Et hæc per proventus ejus prohibitionem præcavenda, illa verò per evacuationem removenda. Cum autem jam præſens ſive fluxa tolli nequeat ante remotionem fluentis; neq; fluens removeri poſſit ante remotionem fluxuræ; rectè igitur juxta *Method. Spectatiſſ.* DN. DECANI, *morbor. curand.* II. à fluxuræ portione ceu abundante curationem ordimur, & quidem per præſidia univerſalia, v. g. per *V. Sectionem* revulſionis gratiâ primò in brachio, dein derivationis ergò in talo inſtitutam; cùm ut felicior vaſorum acceleretur depletio, tùm ut liberior reliquæ maſſæ ſanguineæ ſubſiſtenti reſtauretur agitatio, tùm deniq; ut vegetior medicamentis lentorem ſanguinis corrigentibus concilietur maturatio. *An autem hæmorrhoidum tumentium ſectio & uſtio tuta ſit?* cùm ſæpius immedicabiles ſubſequantur hæmorrhagiæ & fiſtulæ, non abs re hîc quæritur. *Aquapend.* in negativam inclinat ſententiam, dicens, ſe per experientiam non potuiſſe unquam hæc probare, neq; à plerisq; tolerari aut ſuſtineri, cùm pars hæc, ſi quæ alia exquiſitiſſimo ſenſu ſit prædita. Ideòq; mavult hæmorrhoides tumentes medicamentis, quàm Chirurgiâ curari. *Hirudinum* intereà *uſus* non negligendus, quarum impoſitionem omnibus aliis plurimi ceu ſpecificum hæmorrhoidum præſidium, præferunt. Et licet *Trincavell. de rat. cur. part. corp. human. p. n. aff. lib. 9. c. 14.* apertionem hæmorrhoidum per hirudines diſſuadeat, quod venenatæ ſanguiſugæ iſtæ videantur, & cum eo alii. Illorum tamen rationes eruditè retundit *Senn. cit. loc.* Nam ante applicationem præparandæ ſunt aſperſione aq. ſalsæ, ne morſu violento aut maligno violentiam inducant, ſive conſolidationem vulneris impediant, ſivè gangrænam accerſant, in his præcipuè locis, ubi corporis quaſi ſentina habetur. Sedes ſive locus ſpongiâ ▽. dulci ſive melleâ, ſive ſac-

charatâ muniendus, ut eò citius aperiri possint. Porrò non auferantur hirudines donec plenæ cruoris fuerint. Ut autem cute decidant, sale sunt aspergendæ. Affiguntur sive binæ sive plures, pro sanguinis evacuandi multitudine & necessitate. Quoad tempus, hæmorrhoidum apertio quovis tempore tentanda, quando Natura non succumbit, imprimis autem quandò hæmorrhoidalis fluxus aliàs consuetus jam inhibetur, vel novas prorsus affectat vias, vel aliorum morborum causa existit. Tunc exterius anus illinenda *butyro* cum *spiritu vini*, vel *felle tauri*; *foment.* ex *decocto lamii fœtid.* cum *vino*, it. *artemis. rubr. vulgar. suppositoria* intrudenda ex *mell.* cum *aloë* parat. it. exhibendæ *pilulæ* de *aloë rosat.* vel etiam pilulæ JESU dictæ; item linteum applicandum cum albumine ovi, donec exsiccetur, exsiccatum cum impetu detrahendū.

XLIV. Fluxurâ portione imminutâ *fluentem* aggredimur præsidiis aliorsum revocantibus, ac derivantibus, ut *cucurbitulis*, pro diverso scopo modò coxis, modò hypochondriis applicatis. Dein *fonticulis*, hujus evacuationis defectum non sine emolumento supplentibus, maximè autem in fœminis, si menstrua fuerint suppressà. Deniq; *frictionibus partium*, quæ fieri possunt panno aspero calido, folio ficus, aut parietariæ, aut similibns.

XLV. *Humoribus* intereà *impuris*, qui sæpius hujus suppressionis causæ sunt, præmissâ primarum viarum leni ac iteratâ, usu scilicet *prunor.* cum *mann.* herbarum item emollientium in jure pingui decoctarum, ut *malv. lactuc. borragin. betha, brassicâ* purgatione, subveniendum medicamentis calidis scilicet attenuantibus, incidentibus, uno verbo spirituascentiam sanguinis reparantibus, & quidem interius *Cochlear. nasturt. aquat. Card. B. fumar. sambuc. calament. helen. pimpinell. aristol. rotund. vera, bethonic.* &c. *Viscerum obstructionibus* consulemus interius vel decocto aliquo radicum aperientium, vel vino medicat. *aristol. rotund. ver.* non omissis *cichoraceis*, lacteâ suâ amaritudine sanguini tenuitatem & quasi friabilitatem largientibus, aliisque appropriatis. *Exterius* ex iisdem aut aliis convenientibus, fomenta, lotus balnea, in usum

ſum vocari poſſunt. Fluxili ſic reddito corpore per intervalla removemus impuritates, v. g. *rhabarb. ſpecieb. diaturbith. cum Rhabarb.* quibus admiſceri debent, quæ oſcula venarum aperiunt, qualia ſunt *aloë violata, roſata*; *pilul. Aleophang. Franckofurtenſ. Species Hieræ picræ, pilul. ſine quibus* &c. ut factâ per purgantia humorum fermentatione, portionum heterogenearum ſequeſtratione, & ſequeſtratarum eliminatione, ſaburra humorum à viſceribus ſubducatur, minera mali exſtirpetur, infirmitas corroboretur, fomes reſiduus, aut recidivæ metus eradicetur, & maſſa ſanguinea homogeneitate, ac motus donetur æquabilitate.

XLVI. *Fluxam* deniq; tollimus *topicis* poros relaxando digerendoq; materiam evocantibus doloremq; demulcentibus. Inter ſimplicia ex *vegetabilibus* commendatur *ſuccus cæparum*, qui *aloë miſtus*, & panno aſperiori fricando applicatus hæmorrhoides aperit. Ab aliis laudatur *cyclamen, anagallis mas, Centaur. min. rad. ireos, ſcrophular.* quæ ceu appropriata hæmorrhoidibus, easdem movere & ſiſtere dicitur; *galeopſis* item ſive *urtica mortua*, cujus ſolo ſucco pro ſpecifico utuntur. Ex *animalibus* commendatur *fel porci, bovis, ſtercus columbinum cancri fluviatiles ol.* olivarum, ad mellis conſiſtentiam cocti. Ex *mineralibus alumen* loco ſuppoſitorii uſurpatum ſolum ſæpius fluxum concitaſſe affirmat Petræus. &c. Unguentum tale commendat *Weckerus*.

℞ Ol. matricar. ℥s.
lardi ℥j.
ſterc. columb. ʒiij.
ſalis ʒij.
M. & F. unguentum.

Joh. Crato, trium Imperatorum Medicus ſequenti uſus eſt remedio: Cæpa excavetur, impleatur Ol. amygdalarum amararum, tegaturq; rurſum ſuo operculo, ſub cineribus aſſetur, ſuccus exprimatur, anoq; illinatur. *Paræus* bulbos ſub cinere coctos cum theriac. & oleo rutæ vel roſarum ad formam unguenti redigit.

Emplastra fiant ex farinâ lupinorum, felle bovis, stercore columbin. In topicorum hujusmodi applicatione notandum tamen, si cum tumore dolor simul adsit vehemens, semper aliquid opii similiumve anodynorum adjiciendum esse. *Suppositioriorum* forma tumentibus hæmorrhoidibus admodum quoq; conveniens videtur, nisi nimium intumuerint, aut *retineri* nequeant. *Injectiones* quoque & *clysteres* fieri queunt ex decocto herbarum emollientium & incidentium. *Insessus* & *balnea* tàm naturalia, quàm artificialia conducunt, si iis opus esse videatur. *Aquapendens* nempe ait tumentes se curare insessione in aq. thermalibus: spongiam quoq; iis immersam atq; expressam ano applicat.

XLVII. Si verò nunquam fluxerint hæmorrhoides, neque spes est, eas esse fluxuras, nihilominus tumeant & ob id doleant, exsiccatio earundem suscipienda per digerentia & siccantia interna vel externa. Interius eum in scopum assumuntur decoctum ononidis, verbasci pulvis cum lacte aliove liquore; pulvis item millefolii, vel tormentill. pilul. de bdellio frequenter usurpatas easdem insensibiliter distrahere testatur *Riverius*. Exterius adhiberi queunt fotus, insessus, unguenta, cataplasmata, facta ex acaciâ, bolo armen. linguo guajac. alumin. verbasc. &c. Si æger super asserem ex ligno pini plano factum, & pinguedine aliquâ, vel Ol. inunctum sedeat, hæmorrhoides eo exsiccari quidam statuunt. Si verò non in totum supprimantur hæmorrhoides, sed saltem imperfectè fluant, eadem proficua sunt auxilia, nisi quod exterius in usum vocata leniora esse debeant, facto scilicet insessu ex decocto dictarum plantarum, vel vapore ex iisdem suscepto; vinum generosum & aloëtica exhibeantur.

XLVIII. Restat ut de frequentissimo hæmorrhoidum symptomate, quod tumentibus præprimis & cœcis accidere solet, *dolore* nimirum paucis agamus. Tanta namq; est interdum ejus vehementia, ut curationem ad se rapiat. Eò, propterea juxta *method. Excellentiss.* DN. D. HOFFMANNI, morborum curandor. III. summè elaborandum, ut flammæ vitalis continuatio ju-

vetur,

vetur, antequam animus deficiat, per remotionem eorum, quæ vehementer peccant, & conservationem eorum, quæ confertim evacuantur. Quia itaq; dolor sæpius urget, animum cum corpore affligens, Medicum eâ de causâ animosum à rectâ curationis distrahit viâ.

XLIX. *Dolorem*, sive molestam sensationem à continui solutione dependentem, & curationem ad se rapientem, aliàs per se nihil indicantem, compescemus medicamentis tùm topicis externis, tùm internis acrimoniam sanguinis mitigantibus, fervorem extinguentibus, humorumque impetum tranquillantibus. Sunt leniora *malv. fœnumgræc. althæa, melilot. sem. lini.* &c. *furfures* sacculo inclusi cum lacte cocti locoq; dolenti applicati. In *scrophulariâ* peculiarem vim ad hosce dolores compescendos expertus est *Henricus ab Heer*, si nimirum quidem scrophulariæ vel radic. vel foliorum cum cibo & potu sumantur. *Scarabæos* commendat *Crollius*. *Millepedes* sive *aselli* in ol. nucum cocti, sedique inuncti in secretis fuêre *Quercetano*. Ex compositis laudantur *aq. tussilagin. sambuc. solan. scrophular. ol. rosar. viol. flor. sambuc. buxi*, quod mirificè extollit *Riverius*. Sicut *ol. nucum Quercetanus*. &c. Nobis communicavit *Spectatissimus* DN. DECANUS seq. ut : ℞. *Lap. calam. pulveris. Ung. ros. ol. viol. ãã. ℥ij. M.* Commendatur item *unguentum rosatum, pomat. de cynogloss. ad hæmorrhoid. Augustanor.* In quorum pinguium applicatione illud observandum, ne sine discrimine loco dolenti, adhibeantur, parùm pensitatâ causâ doloris ; Verùm ex consilio *Aquapend.* locus si nimium doleat, prius inspiciendus, sitne semel gangrænâ correptus? velut sæpius contigit. *Fomenta* & *fotus* fiant ex *fol. & flor. verbasci alii iisq;.* Quidam *bonum Henricum* cum butyro & lactis cremore lento igne coquunt, expressumq; succum, cum insigni levamine adhibent. *Externè* valet etiam *linaria* cum lacte cocta, & imposita, vel ejus *unguentum*, vel oleum. Item *ol. ex milleped.* quod singulari pro arcano habuit principissa quædam in Italiâ; & *P. Borellus* communicat. *Ulysses Aldrovandus* magni facit

her-

herbam inde hæmorrhoidalem dictam, quæ species esse censetur polygoni, eâq; tactâ hæmorrhoides dolentes melius habere dicit; imò si circa femur per diem gestata fumo suspendatur, hæmorrhoides simul cum herbâ scribunt corrugari, omnemq; dolorem evanescere.

L. Quod si hisce omnibus minimè obtemperet dolor, adeò ut metus instet, lapsus virium insignis, in usum trahendum est, (non nisi tamen extremâ urgente necessitate,) *laudanum opiatum*. Quibus peractis si vires nimium debilitatas videmus, earum restitutioni simul consulendum, remedia eapropter hoc in casu danda particulis sulphureis & spirituosis prædita, quæ nempè sanguinem cumque eodem simul spiritus vitales & Animales exsuscitant & confortant; ut sunt *vina generosa*, *aq. ardent.* aut mitiores cum aromat. &c.

LI. *Symptomatum* simul reliquorum concurrentium, verbi gratiâ, *inflammationis*, *condylomatum*, *exulcerationis*, *gangrænæ &c.* curatio ex propriis locis petenda.

LII. *Diæta* tandem medicamentis respondeat. *Aer* propterea non nihil ad caliditatem vergat, pro motu sanguini communicando. *Cibi* sint acres, piperati, aromatibusq; conditi. *Motus* & *exercitium corporis* instituatur. *Affectus animi* sint moderati. *Alvus* quotidie voto respondeat.

Atq; hic finis esto: pro temporis brevissimi, quod in hujusce materiæ elaborationem impendere potuimus, ratione. Interim Divino Numini pro viribus, quas ad disputationis hujus Inauguralis qualem qualem elaborationem concessit, laus, honor, & gloria dicta sint in secula.

FINIS.